✠

GREGORIUS EPISCOPUS, ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ad exequendum Paſtoralis Officii debitum, paternis, & ſolicitis ſtudiis vigilantes circa ſtatutum Ecclaſiarũ quarumlibet, earum præſertim, in quibus animarum cura exercetur, ſalubritèr diligentes, libentèr intendimus: aliaque deſuper diſponimus, prout earundem Eccleſiarũ ſtatui, magis cognoſcimus convenire. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte Dilecti Filii Roderici, S. R. E. Presbyteri, Cardinalis de Caſtro nuncupati, Eccleſiæ Hiſpalenſi, ex diſpenſatione Apoſtolica Præſulis petitio continebat: quòd in Civitate Hiſpalenſi, quæ incolarum multitudine, & occaſione mercium, quæ ex diverſis longinquis Regionibus in eam, quaſi celeberrimum quoddam totius Hiſpaniæ Emporium importarī ſolent, & advenarum concurſus, privatiſque, & publicis ædificiis: ac denique hoc ipſo, quod Metropolis, & valde inſignis, & in Diœceſi Hiſpalenſi, etiã quæ ipſa quoque ſatis ampla eſt, & in pluribus ejuſdem Diœceſis oppidis, lociſque hominum frequentiâ inſignibus, licet plures Eccleſiæ ſint, in quibus animarum cura exercetur, admodùm celebres, & opportunis locis ſitæ; tamen nullæ ſunt, quæ Parochialis nomen propriè obtineant, cum â propriis Rectoribus, qui curam hujuſmodi exerceant, non regantur. *Sed cum perpetua ſimplicia Beneficia Eccleſiaſtica, quæ in hujuſmodi Eccleſiis ſita ſunt, redditibus amplis, & opulentis abundent Clerici, qui illa obtinent, adeò omnes decimas, primitias, cæteroſque proventus, & redditus Eccleſiaſticos ad ea pertinentes abſorbent, ut pro ipſis Presbyteris, qui Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrandi, & curam animarum exercendi onus ſuſtinent, & ſuſcipiunt in decimis nulli prorſus in cæteris autem rebus nimis tenues & exigui, iique prope modum incerti redditus ſuperſint.* Unde evenit, ut cùm eruditi viri idonei Eccleſiis prædictis inſervire nolint, propter eorundem fructuum hujuſmodi tenuitatem, aut Eccleſiæ ipſæ deſertæ miniſtris diu careant: aut cogantur Archiepiſcopi pro tempore exiſtentes Presbyteros plerumque minùs idoneos, & qualeſcumque deputare, qui animarum curam exerceant, & Eccleſiaſtica Sacramenta hujuſmodi adminiſtrent: atque illi ad libitum plerumque in majoribus neceſsitatibus, prout nuper tempore peſtis, aut infirmitatis contigit, Eccleſias, & gregem ſibi commiſſum deſerunt, non ſine magno Cultûs Divini contemptu, ſcandalo populorum, & ſalutis animarum ipſarum detrimento. Quibus incommodis pro munere ſibi injuncto prædictus Rodericus Cardinalis, & Præſul occurrere volens, ut res majori firmitate, & ſine litibus, controverſiis, & querelis perficiatur; nobis humilitèr ſupplicari fecit, ut in præmiſsis oportunè providere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur, qui dudùm inter alia voluimus, quòd petentes, Beneficia Eccleſiaſtica aliis unire, tenerentur, exprimere verum annuum valorem, ſecundùm communem extimationem, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio vakeret, & ſemper unionibus commiſsio fieret ad partes, vocatis, quorum intereſ-

tereſ-

tereffet; hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes Ecclesias Civitatis, & Diœcesis Hispalensis præfatas, in quibus animarum cura quomodolibet exerceri consuevit, ut præfertur in Parochialibus cum fontibus Baptismalibus, & aliis Parochialibus insignis, vel si & uti ipse Rodericus Cardinalis, & Præsul id magis expedire judicaverit, *in illis singulis, singulas perpetuas Vicarias pro totidem Rectoribus, seu perpetuis Vicariis, qui curam animarum suarum quisque Ecclesiarum, ac omnia Parochialia officia exerceant, authoritate Apostolica tenore præsentium, SINE ALICUJUS PRÆJUDICIO erigimus, & statuimus:* eisque singulis sic erectis pro earum dote, & Rectorum, seu Vicariorum congruâ sustentatione unum, vel duo præstimonia, seu præstimoniales portiones, aut perpetua etiam Pontificalia, seu servitoria Beneficia Ecclesiastica, in quacumque Ecclesiâ existentia, quod, seu quæ primum precessum, vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem, seu commissionem illud, seu illa obtinentis, seu obtinentium, & alias quibusvis modis, aut ex quorumcumque personis, etiam in aliquo ex mensibus ordinariis collatoribus, etiam per constitutiones nostras pro tempore editas, seu literas alternativarum, aut Cancellariæ Apostolicæ regulas, vel alia privilegia, & indulta hactenùs concessa, & in posterum concedenda, vacare contigerit: etiam si illud, vel illa actu, nunc per obitum ea obtinentium extra Romanam Curiam jam forsam defunctorum, aut aliàs quovis modo vacent, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio juxtà Lateranensis statuta Concilii ad Sedem Apostolicam legitimè devoluta, ipsaque dispositioni Apostolicæ specialitèr reservata existant. *Cujusque, seu quorum insimul fructus redditus, & proventus valorem annuum centum & quinquaginta ducatorum Auri de Camara, secundùm extimationem prædictam, ut minimum ascendunt, non tamen ducentos & quinquaginta ducatos similes excedunt: in Ecclesiis verò Oppidorum de Moron, Marchena, Xerez, Villa Martin, Ecija, & Carmona dictæ Diœcesis, in quibus Cura animarum exercetur, & beneficia pinguiora, & incolarum major frequentia existit, etiam si illorum fructus redditus, & proventus ad quadrigentos ducatos hujusmodi ascendunt; ac tam in dictorum Oppidorum, quàm aliis prædictis Ecclesiis, obventionum, jurium pedis Altaris nuncupatorum, necnon primitiarum, & aliorum emolumentorum, quæ incerta sunt, & inter Beneficiatos hujusmodi Ecclesiæ æqualitèr dividi, & distribui consueverunt, integram ratam ad unumquodque beneficiorum hujusmodi spectantem, & per illius beneficiatum percipi solitam pro uno, vel arbitrio ejusdem Roderici Cardinalis, & Præsulis pro duobus Rectoribus, seu perpetuis Vicariis ex nunc authoritate, & tenore præmissis perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus.* Quòd si Beneficiorum primum vacaturorum in singulis Ecclesiis Oppidorum prædictorum constituendorum fructus, redditus, & proventus quadrigentos ducatos hujusmodi annuatim excesserint; tunc ab unoquoque beneficiorum hujusmodi cujuscumque valoris illius fructus, redditus, & proventus existant, cùm primùm vacaverint, ut præfertur fructuum, reddituum, & proventuum illius unam, vel duas congruas portiones; quarum *Singulæ non minores centum,* nec majores quadragin-

ta ducatis similibus annuatim sint, pro uno, vel duobus Rectoribus, seu Vicariis perpetuis, ut præfertur, dicti Roderici Cardinalis, & Præsulis, ac pro tempore existentis Archiepiscopi, seu Administratoris Hispalensis arbitrio in frumento, hordeo, vel mora petinis designanda: in aliis vero Ecclesiis extra Oppida prædicta consistentibus, si beneficiorum hujusmodi primò vacaturorum fructus, redditus, & proventus ducentos & quinquaginta ducatos similes excesserint; *tunc similiter ab unoquoque illorum portionem non minorem centum, nec majorem ducentis, & quinquaginta ducatis similibus annuis arbitrio prædicto, ut præfertur designandis, ac ratæ etiam similium obventionum jurium pedis Altaris, ac primitiarum, ac aliorum emolumentorum ad beneficium hujusmodi spectantem*, etiam unam, vel duas portiones arbitrio prædicto, ut præmittitur designandas ex nunc, prout tunc perpetuò dismembramus, & separamus: illasque sic dismembratas, & separatas unicuique Parochiali Ecclesiæ, seu Vicariæ hujusmodi pro illarum dote, & Rectoris, seu Vicarii illius congruâ sustentatione, authoritate, & tenore perpetuò applicamus, & appropriamus, *Ita, quòd liceat in dictis beneficiis successoribus omnes illorum fructus, redditus, & proventus, necnon obventiones, jura, primitias, & emolumenta, ultra portiones prædictas remanentes, pacificè possidere.* Rectoribus verò, seu Vicariis earundem Ecclesiarum pro tempore existentibus, & illorum unicuique per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem singulorum beneficiorum hujusmodi, ac illorum fructuum, redditiuum, & proventuum: *Necnon primitiarum, jurium, obventionum, & emolumentorum etiam in decimis, vel quibuscumque aliis rebus consistentiam ad dicta beneficia unita spectantium, seu ab illis, ut præfertur, separandorum, & dictis Parochialibus Ecclesiis, seu Vicariis, applicandorum propria authoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, ac in suos usus, & utilitatem convertere.* Necnon Roderico Cardinali, Præsuli, ejusque successoribus prædictis, etiam hac primâ vice, Parochiales Ecclesias, seu Vicarias prædictas â primævâ illarum erectione vacantes, servatâ tamen formâ Concilii Tridentini, conferre; & de illis etiam providere, itidemque ipsi, & futuris omnibus Præsulibus Hispalensibus de eisdem quotiescumque vacabunt, prædictâ formâ servatâ, cessantibus reservationibus, & affectionibus Apostolicis, disponere, decernentes præsentes literas, & in eis contenta quæcumque nullo tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut quovis alio defectu notari, vel impugnari non posse: sed illa valida, & efficacia fore: suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & sic per quoscumque Judices, & Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales in quavis causâ, & instantiâ *sublata eis, & eorum cuilibet* quavis alitèr judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate judicari, & diffiniri debere. *Necnon irritum, & innane,* si secùs super his, à quoquam quavis authoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Quo circa venerabilibus fratribus nostris Corduben. Cadicen. Episcopis, ac Dilecto filio Abbati Monasterii Sancti Benedicti de Silos, propè, & extra muros Hispalenses per Apostolica scripta mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per

se,

se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Roderici Cardinalis, & Præsulis, ac successorum suorum prædictorum, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti solemnitèr publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate nostrâ easdem literas, & in eis contenta quæcumque, firmitèr observari; non permittentes, Rodericum Cardinalem, & Præsulem, ac successores prædictos desuper per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, per Censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque oportuna juris remedia appellatione postposita compescendo: necnon legitimis super his habendis servatis processibus, Censuras, & pœnas ipsas incurrisse, declarando, ac eis etiam iteratis vicibus aggravando, invocato, etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii sæcularibus, non obstante voluntate nostrâ præfatâ, & novissimè celebrata, uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permissis fieri prohibente Lateranensis,& aliorum Generalium Conciliorum, ac fœlicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi prædecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra Civitatem, vel Diœceses suas nisi incertis casibus, *& in illis ultra unam dietam à fine suæ Diœcesis ad judicium evocetur*: seu ne judices ab eadem Sede deputati extra Civitatem, vel Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere præsumant, ac in Concilio generali editæ de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas, aliquis authoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque Apostolicis Constitutionibus, cæterisque contrariis quibuscumque: aut si alicui super prohibitionibus sibi faciendis de hujusmodi, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales, vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint: etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum: quas quidem literas, & processus habitos per eosdem, & inde servata quæcumque ad beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indultis, & Literis Apostolicis specialibus, vel generalibus quorumcumque tenorum existant, per quam præsentibus non expressa, vel totalitèr non inserta, effectus hujusmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis. *Volumus autem, quòd propter hujusmodi unionem, annexionem, & incorporationem, beneficia prædicta debitis non fraudentur obsequiis, sed eorum congrua supportentur onera consueta.* Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ erectionis, institutionis, unionis, annexionis, incorporationis, dismembrationis, separationis, applicationis, appropriationis, decreti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, idibus Novembris, Pontificatûs nostri anno tertio decimo. O. Robertus.